


1978

L

1581



1. Pauli III Pontificis
admonitio ad Caes.
per Carolum V.

1545.
2. Melanthonis Siphil.
Responsio scripta
a Clero secundario
Colonie, a Lipsia
1543.

PRÆLIBATIO

FLACIANI
DOGMA TIS, DE PRO-
DIGIOSA CONVER-

SIONE HOMINIS, AD
*gustum totius controuersæ
sæ propositæ,*

Autore

M. CHRISTOPHORO
LASIO.

3. Reg. 20.

*Ne glorietur accinctus, quasi
discinctus.*



VVITTEBERG AB

Ex officina Petri Seitzij.

1568.

IN A C I A M

DOGMATA ET PRO

POSITIONES CONFER

ENTIBUS

CONSTITUTIS

REVERENDISSIMO

DOCTORI

CHRISTOPHORO

WOLFFIO

PH.D.

IN THEOLOGIA

M

1710

WITTEBERGAE

IN ACADEMIA

LIBRARIA

R
V
P
P



em
acc
for
tur
cit



REVERENDIS
VIRIS, ERVDITIONE
PIETATE, ET DOCTRINA

PRAESTANTIBVS, IN ECCLE
siastico collegio Vrbis Augustanae cono
iunctis, Dominis ac fratribus offici
ciose colendis,

Christophorus Lasius
S. D.



*Q*uidem haud igno
ro, & certamina te
merè suscepta in ius
tam reprehensionem
incurrere, ac illis re
tè impingi, qui vel
æmulatione, vel odio, vel ambitione
accensi dissidia serunt, adlympidos
fontes veræ ac salutaris doctrinæ con
turbandos, & ad bella domestica ex
citanda, cuiusmodi hæc nostra ætas

A y quos

quotidie videt exoriri funestas Tubas,
ad arma proprijs quasi membris infe-
renda, classicum canentes. Sed vobis
nota est occasio, quæ me ad dimicatio-
nem cum agmine Flacico suscipiendam
pertraxit. In Leonto cum inspectioni
præessem, cœpi Polemicos Flacij Gallig,
libellos, ab Augustanis meis Mecœnati-
bus transmissos euoluere, ac statum mo-
tæ controuersie propius intueri, proba-
tiones aspersas expendere. Postea ro-
gatus, vt opinionem cum doctrina re-
purgatæ Ecclesie pugnantes, pro mea
virili refutarem, etsi tum temporis alijs
occupationibus distringebar, tamen
piæ petitioni obsecundandum duxi, pla-
cidè ac modestè refellens ea, quæ mihi
parùm sobriè dici videbantur. Labore
peractò, scriptam refutationem exhibi-
bui Mecœnatibus, ibi nostis quid ac-
ciderit. Commentationes meæ prode-
bantur

bantur Flacio, idq; per benè notum &
Flacianis adiuratum, qui vt apud belli
ducem aliquam iniret gratiam, ac spes
cimen nigri candoris ostenderet, non
dubitauit prostituere librum, à præ-
stanti viro, magistratum gerente, con-
creditum, nec puduit fallere depositum,
nec veritus est committere plagium,
bona tamen conscientia, quæ in coniu-
ratis illis tam est angusta, vix vt to-
tas vehes fæno cumulato onustas trans-
mittat. Accidit autem, vt Flacius
anno 63. mense Martio, cum me venisse
Augustam, ibiq; dies aliquot commo-
raturum resciuisset, in pedes se conijce-
ret, properans ad Lasium. Diuenteram
autem apud. M. Christophorum Neu-
bergerum, Virum verè facundum &
eruditum, ac præter alias virtutes,
summo candore præditum, mihiq; in-
tima familiaritate coniunctum. Is

A ij tertio

tertio Martij conuiuas inuitauerat, D.
Georgium Eccardū, Ecclesiastici con-
uentus antistitem, inter doctos ac syn-
ceros theologos, pio zelo flagrantes,
meritò numerandum: D. Christopho-
rum Thennium, patricium, literis ac
festiua humanitate haud leuiter tino-
ctum, nuncq; ad munus Scholarchæ ac-
citum: M. Iohannem Remum, in cui-
us vultu vera pietas relucet, cum in-
signi eruditione coniuncta. Nisi fal-
lor, aderat & M. Georgius Meccar-
dus, vnà cum M. Georgio Stengelio,
in quibus veræ ingenij dotes sic emi-
nent, vt nec facilitas desit, nec mode-
stia. Sic coniuncti cum accumberemus
in mensa lautè instructa, hospes nun-
ciat, adesse, qui Lasium conuenire cus-
piat. Me statim egrediente, accedit qui
fores pulsarat, salutatur nomine Fla-
cij Illyrici, quem significabat adesse,
vt de

vt de libero arbitrio mecum conferat.
D. Eccardo adhibito, quem nominatum iussi statim vocari de mensa, ad postulationem Flacij cognoscendam, quam Sebastianus Crellius amanuensis Flacij, adferret. Ad obtestationem igitur ab initio repetitam respondi paucis, me adesse certorum negotiorum causa, quæ mihi tantum vacui temporis non concedant: mirum autem videri, quomodo Flacius me ab eo dissentire sciat? subiecit, id ei constare, ex libro meo Ienam transmisso. Tum ego: nunquid scriptum meum peruenit in manus Flacij? sit ita sanè, vides tamen, esse mihi iustas detrectati colloquij causas. Ita vtrinque disceditur, & ad mensam reditur. Vix confederam, tum D. Thennius, vir prudens, incipit hortari ad certam responsionem chartæ demandandam, & causas huius consilij

A iiij comme

commemorat satis graues, quibus cognitis, calamum arripiens ex tempore ita scripsi.

Iam diu nihil tam præter opinionem meam accidit, quam intempestiua illa postulatio, qua Sebastianus Crellius multis verbis à me contendit, ut placidè tecum conferam, de controuersia (ut ita uocem) Synergetica. Aliorum negociorum causa huc me contuli. Nam illustris Baro, Dominus Iohannes Bagnad, accelerari cupit æditionem operis sui à me adornati. Huc accedunt Exilij mei difficultates, quæ præsens remedium sine mora flagitant, ita ut hanc tibi operam dare non uacet. Præterea narrauit mihi Crellius, librum meum, nescio quo casu, anno 61. Ienam transmissum, ad manus peruenisse tuas. Interea temporis, si placidam collationem expeteres, mecum
potue.

potuisses agere per literas, nec mea tibi
responsio defuisset. Porro, ad causam
editis libellis agitatam, non videtur
vllum priuatum colloquium profutu-
rum, quod quidem certamina posset ac-
cendere, non autem controuersiam diri-
mere, praesertim cum difficile sit, in
viam reuocare mordicus retinentem
opinionem semel conceptam. Postremo
librum meum iam arbitror esse sub
praelo, ita vt non sit integrum quic-
quam priuatim agere. Haec ad petiti-
onem tua ex tempore respondere volui,
ne forte putes, Lasium metu fractum
tergiuersari. Faueo tibi, tuisq; commo-
dis, sed contentionem temere abs te
motam comprobare non possum, pro-
pter causas, quas in libello meo legisti,
eas oppugnare si voles, per me licebit.
Benè vale: Augustæ, Anno 1563.
3. Martij.

A V In

In illa Epistola feci Flacio liberam
refutandi mei scripti potestatem, siue
priuatim, siue publicè, iamq; fore puta-
bam, vt aut refutationem aggredere-
tur, aut veritati cederet, sed tot annis
elapsis de pristina sententia nihil im-
mutauit. Ad hanc causam concur-
runt & alia. Non desunt, qui Flacium
existimant in disputatione Vnariensi
obtinuisse victoriam, & ex eius officina
noui quotidie mordacesq; libelli pro-
deunt, nec acerbissimarum contentio-
num, nec petulantissimorum conuicio-
rum finis est. Sed hæc omnia supe-
rat intempestiua gloriatio, & velut
Epinicion, ante palmam concessam
decantatum. Sic enim Trigeni iacti-
tant in Responcione contra inuectiuam
D. Stosselij: His perculsi terricula-
mentis, iamdudum expectauimus à
tàm eruditis & argutis Disputatori-
bus

bus, sapientissima oracula, & artifi-
ciosè excogitata sophismata, (Sophis-
mata dicimus. De veris enim & solis-
dis argumentis semper fuimus & ad-
huc sumus securi) quæ nos indocti &
balbutientes difficulter intelligere, ne-
dum refutare possemus, hæsitantes fo-
re, vt veritas propter nostram infan-
tiam aliquid detrimenti caperet. A ij.
Observatione digna est, illa excæcato-
rum Flacianorum securitas, esse qui
prædicant sibi persuasissimum, Mani-
chæis ipsorum delirijs nihil opponi pos-
se, præter sophismata vafre cogitata,
ac dogma Flacicum ea munitum esse
certitudine, vt firmi nihil adferri que-
at ab vllis: ita fieri, vt sine metu peri-
culi, in aurem vtramq; dormiant, ac
suauiter derideant eos, qui ad hanc ve-
ritatis arcem oppugnandam non dubi-
tant imbelles copias adducere, conatu
pror.

proprus irrito. Sic Bellatores isti ma-
gnanimitatem quandam foris osten-
dunt, at si cordis latebræ nostris pate-
rent oculis, tum eos intus agitari vide-
res confidentia verè meticulosa, ad for-
midinem dissimulandam accersita.
Hoc enim artificio Sathan pollet, cum
ita trepidat, ac si velit despondere ani-
mum, tum non dicendam ferociam præ-
se ferre studet, tantum ne metu videa-
tur opprimi, iuxta versiculum: Spem
vultu simulat, premit altum corde do-
lorem. Proinde securitas, quam fa-
Etio coniurata iactitat, verè est cer-
tissima perturbatæ anxietatis signifi-
catio. Novit Flacius, quàm solidis ar-
gumentis, in libello meo per proditio-
nem sparso, refutarim ipsius argutias
vix magno labore conquisitas, & ta-
men in admiratoribus suis opinionem
Elenchi confirmat. Etsi autem in il-
la Tri-

la Trigenorum gloriatione magna est
vanitas, tamen eam auget expectatio
amarulenter ironica, cum simili exte-
nuatione coniuncta. Fingunt enim sese
arbitrari futurum, ut Antiflacioni
longè vincant Antisynergistarum ex-
pectationem, sed experiri diuersum,
euentu opinionem fallente. Simul
autem ostenditur, quid expectarint, vi-
delicet, sapientissima oracula, quæ
captum superent balbutientium: per
antithesin hæc intelligenda sunt, pro
eloquentissimorum & acutissimorum
hominum, qui hoc nostro sæculo post
Lutherum extiterunt: hæc est propriis-
sima talium ironiarum interpretatio,
viam imaginem istorum Sannionum
exprimens. Porro, gloriationem se-
quitur & ironica simulatio iacturæ
pertimescendæ. Veteratoriè metuunt,
ne Flacionum balbuties ipsis fraudi
sit,

sit, damnum adferens veritati, nullis
verborum flosculis exornata. Fictitia
sunt, tantum ut persuadeant, hæc vi-
rulenta certamina pio studio moueri,
nec quicquam esse periculi, nisi quod
vereantur, ne dictio impolita officiat
causæ per se bonæ. Quomodo autem
metum adferat veritas in discrimen ad-
ducta? cuius defensio nulli unquam
Flacianorum suscepta fuit, utpote qui
doctrinam ab omnibus orthodoxis re-
ceptam, furenter oppugnant. Huc ac-
cedit non ferenda sæuitia, quam zelo
Satanico prorsus accensi, atrociter ex-
ercent in eos, quos in partes suas pertra-
here nequeunt. In Ecclesis enim regno
Flacico subiectis, à Cæna sacra & à so-
lenni compatriotarum officio arcentur,
qui non volunt esse Flacianorum man-
cipia: imò fulmen excommunicationis sine
mora torquetur in eos, qui detrectant
seruiliter accedere & Gnatonicè ad-
plaus

plaudere Illyricano dogmati. Hæc ty-
rannis grassatur in familias, in omnes ci-
ues, sine respectu vel personæ vel sexus,
propemodū ad æquans inquisitionē Hi-
spanicā, neq; mirum tamen. Nam dissid-
ium à turbatoribus illis excitatū, hanc
habet causam Procatarteticam, ut rectè
sentientibus oppressis, ipsi Regno dudū
captato potiantur, ita liberum fore, con-
dere dogmata, sancire decreta, sancita
rescindere, illaqueare conscientias, illa-
queatas impotenti dominationi subijce-
re, et ad quiduis amplectendum cogere.
Hæc ita cū quotidie geri sciā, operæ
precium facturū me putavi, si quā pri-
mū ironicis illis expectatoribus quasi
per transennam ostenderē, breui (Deo
volente) futurū, ut videāt non à nostra,
sed ab ipsorū parte moueri præstigias et
sophismata callidè reperta. Scitis autē
ex gustu primæ lineæ, quantis in labo-
ribus adhuc verser, quos sanè absoluisse
dudum

dudum, nisi centena Diabolorum millia
obstitissent ad finem properanti. Id
autem qui factum sit, vobis calamita-
tum mearum ignavis exponam alio tem-
pore commodiore. Vereor enim, ne si
eam narrationem hic adijciam, modum
excedat præfatio Scripti per se non vsq;
adeo prolixi.

Causas interim cognoscite, qui-
bus adductus, prægustationem ador-
nare decreuerim. Monostabij erat mihi
Diaconus, Ioannes Schutzius, qui
Flacianis adiunctus, verè est dignum
patella operculum, ita sectam illam
omnibus suis moribus exprimit. Ex il-
lius indicio Flaciani compererunt, La-
sium scribere refutationem præstigia-
rum, quas Flacius in disputatione Vi-
nariensi mouet. Ne igitur rumor spar-
sus expectationem aliquam concitet,
à Trigenis ita scribitur: M. Christo-
phorus

phorus Lasius, ex professo Adiapho-
rista & Synergista est, & dicitur
conscribere magnum commentum
contra Illyrici Veram sententiam, in
Vinariensi disputatione defensam. In
Responsione ad inuectiuam D. Stof-
sely. G. Persona primum depingitur,
sed atris coloribus, ad nominis existi-
mationem eleuandam, vt ad mentio-
nem Adiaphoristæ, Lector, ab opere
nondum euulgato, abhorreat, secum
cogitans: Adiaphoristæ colludunt
cum papistis, rectè igitur in suspitio-
nem vocatur totum doctrinæ genus.
Huic vetusto crimini nouum attexi-
tur, dum Lasium nominant Syner-
gistam. Hæc vox attributa comple-
ctitur abominandam hæresin, dam-
natam calculis, proscriptam calamis,
prostratam manibus, conculcatam
pedibus, exhibitam linguis Flaciano-

B rum

rum omnium, imò & avidis absor-
ptam faucibus, remanente tamen par-
ticula, quæ laceffenti occinit: Ne me
remordeas. Cùm igitur Synergistam
nominant, suspicione venenati dog-
matis aspergunt Lasium, ad animos
à lectione operis adhuc publicandi de-
terrendos. Ipsam autem refutatio-
nem deformare conantur adpellatio-
ne magni commenti, quod nihil con-
tineat præter ociosas speculationes
prolixè tractatas, quæ legenti tædi-
um adferant, non fructum ullum. In
Laconica illa breuitate, multa relin-
quuntur Lectori consideranda. Nu-
merus: non vnus & alter à Lasio ca-
uendum esse monet, sed integer Ma-
nipulus agminis Flaciani: Confesso-
res liberrimi triginta: Exules ob ve-
ritatem pulsati, triginta: Cathari fide
dignissimi, triginta: Puteary, ex
fonti

Fontibus Israël omnia haurientes, tris-
ginta: Ardentissimi zelotæ, tri-
ginta. Hæc adeo conferta phalanx
quem non moueat? præsertim & al-
tera circumstantia accedente, quæ
dignitatem personæ & officij comple-
ctitur. Monitoris vice funguntur
viri: professione Theologi, Secta:
Lutherani dogmatis assertores, Offi-
cio: Pastores vigilantissimi, Institu-
to: Reformatores Ecclesiarum in-
structissimi, Studio: partium Flaci-
canarum coniurati. Tales quam fi-
dem mereantur, quis non intelligit?
præsertim cum vno ore, per iugulum
Flacij, concordēs sonos edant, nec ora-
cula Dalmatica fallant.

Hæc omnia Lectori vno atq;
altero verbo, teclè significantur ex-
pendenda. Cum autem animaduer-
terem, mentionem Lasij tam sine vlla

B ij occa

occasione institutæ probationi adie-
ctam, aliud nihil inde colligere pos-
tui, quàm, quòd Ioannes Schutzius
dudum prædixerat, communi Fla-
cianorum consilio viam esse reper-
tam, qua expectationem retundant,
& commentationes, per Thersiticam
aliquam criminationem semel in con-
temptum adductas, haud magnopere
nocere. Hæc ego narranti non cre-
debam, utpote quem noram ex scele-
ratis mendacijs conflatum; nunc au-
tem, fide in manus incurrente, addu-
cor ut credam. Sed inde potest æsti-
mari, quàm exigua fiducia teneat
animos belligerantium, quibus in ex-
pectatione auertenda plus est præ-
sidijs, quàm in bonitate causæ. Atqui
non ita succurritur pugne vacillanti,
nec aliorum existimatio tam facile
opprimitur. hoc certamen alia præ-
sidia

fidia requirit: nervis opus est, & ro-
bore copiarum, ad hanc aciem fun-
dendam, nec ibi vel astu vel artibus
Simonis quicquam proficitur. Ad
opinionem igitur longi ac frigidi com-
menti excimendam, visum est cla-
uum clavo pellere, ante iusti volumi-
nis editionem, exhibere gustum, qui
lectorem, quid adferamus, doceat,
num. sophismata ad prestigias offun-
dendas accersita, an verò solida ar-
gumenta firmaq; proponamus, ex ipsis
orta fontibus: ita facile iudicari po-
terit, qui nam sint fucatorum dogma-
tum Mangones, nosne an Flaciani?
Simul etiam placuit voluntatibus sa-
nabilium morem gerere, vt minus
acuti habeant in promptu, certas mi-
nimèq; dubias secessionis faciendæ ra-
tiones, & eruditi sciant, euidentiores
contradicendi causas, quàm illæ sunt,
B ij esse

esse nobis in recessu. Hanc autem Prælibationem toti vestro Collegio dedicare libuit, ad consensum in doctrina confirmandum & augendum, & ad patrocinium aduersus calumniatores comparandum, quod à vobis præstari posse scio, nec mihi defuturum arbitror. Oro autem Deum, æternum patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, vt ab aluelis repurgatæ doctrinæ depellat fucos, qui dissipationes ac vastitatem in Ecclesijs efficere conantur, excitans ac conseruans, qui vera ac salutaria doceant, ad gloriam nominis sui illustrandam, ad vtilitatem Ecclesiæ & salutem omnium piorum prouehendam.

Eice in exilio. Anno 1568.
Mense Ianuario.

PRAELIBATIO
FLACIANI DOGMA-
TIS, DE PRODIGIOSA

CONVERSIONE HOMINIS,
ad gustum totius controuersiae
proposita, autore

M. CHRISTOPHORO
LASIO.



EST quoddam genus hominum ad
suspiciones serendas adco proclia-
ue, ut non solum ambigua facta,
quò uelit detorqueat, uerum eti-
am res, & sapienter deliberatas,
& ad publicam utilitatem perti-
nentes, malignè studeat interpretari, idq; tum
sæpè aliàs, tum in oppugnatione suscepta, potis-
simùm usuuenire uidemus. Sunt enim qui existi-
mant, multos nostrarum partium ex inuidia
refragari Flacio, ad eumq; refutandum odio ma-
gis impelli, quàm studio defendendæ ueritatis ad-
duci, à qua suspicione, ut sua quemq; ita & mea
conscientia me liberat. Neq; enim alia causa est
Prægustationis institutæ, quàm deprauatio eius
doctrinæ, quæ ad uniuersam pietatem rectè co-
gnoscendam præbet aditum? Quantum autem
referat huic malo propemodum inueterato mcede-

B iiij

ri

ri, nemini obscurum arbitror. Habet enim &
studium theologicum aliqua prima principia, ad
conuersionem salutariter inchoandam necessaria,
quibus labefactatis, uniuersam religionem pericli-
tari necesse est. Principales gnomas doctrinae
Euangelicae Christus complectitur in hoc illustri
dicto: Agite poenitentiam & credite Euangelio.
Ex hoc fonte dimanant hae generales sententiae?
Poenitentia est necessaria: Renascentes oportet
assentiri omni uerbo Dei: Voluntas non sit igna-
ua: Obedientia debetur Deo trahenti: Spiritus
sanctus in furenter repugnantibus non est effi-
cax. Has saluberrimas gnomas Filius Dei tradis-
dit piorum animis diligenter infigendas, tanquam
commonefactiones de uoluntate Patris aeterni,
proponente certas conditiones illis, qui per-
ueram conuersionem ad Deum redire cogitant.
In talibus axiomatis ostendit scriptura, quid in-
tersit inter naturam per se consideratam, & ha-
bentem motus a Spiritu sancto accensos: item, quid
Deus a renascente requirat? quomodo sit obtem-
perandum ad poenitentiam uocanti, & incho-
anti conuersionis initia? Haec sunt utilia & a
nostris luculenter explicata. Sed Flacius hypothe-
ses illis axiomatis plane contrarias defendit, ma-
le causae inurens fucos ad deceptionem idoneos,
quos detrahere laboris est haud exigui. Dimica-
mus igitur, non ut quidam putant, de asini um-
bra, sed de re magni momenti, nec audiendos ar-
bitror,

pag. 4 unctis

bitror, qui clamitant, dissidia maiore commodo
sopiri, quam excitari. Causa certaminis est con-
sideranda, quæ si uidetur friuola, præstat Ec-
clesiæ tranquillitatem futilibus rixis anteferre:
Et in hac communi imbecillitate, si errata sunt le-
uia, prodest morosis ingenijs condonare aliquid,
sed error in fundamento nec per dissimulationem
occultari, nec silentio tegi potest, sine multiplici
offendiculo. Pugnat autem conuersio Flacica cum
fundamento, quod in scriptis Prophetis et Apo-
stolicis extare uidemus, et doctrina testimonijs
omnium temporum comprobata, et à nostris
præceptoribus, Luthero ac Melanthere, uoce ni-
hil discrepante tradita, corrumpitur, non sine
magno Ecclesiæ malo. Ut enim à uia prorsus
abducitur, qui deerrat iter ingrediens: ita in sta-
dio pietatis nemo potest salutariter progredi, qui
statim in principio deflectit à semita, cupiens
auersiones suas sanare, per poenitentiam scriptu-
ræ ignotam, qua deuiatione nihil periculosius.
Viator, qui regionem ignotam peruagatur, aut
dissendium uie sarcire potest errore correcto,
aut per longas ambages peruenire quò tendit, sed
neutrum hic conceditur. Nam spiritualiter ses-
ducti, nec errorem animaduertunt, nec in uiam
cupiunt reduci, quæ aberratio si durat ad finem
uitæ, tum sic hallucinanti nunquam datur redi-
tio ulla, ad aditum salutis æternæ. Hæc iactura
omnium grauissima et uehementer me commo-

B u uir,

uit, & ad considerationem noui dogmatis paulatim incitauit. Primum igitur obiter percurrebam opuscula Flacica undecunq; allata, moxq; mutato consilio, in morem sedulae apis, singulis herbarum quasi flosculis tenacius insidere libuit, ad certum aliquem succum inde colligendum. Tardi autem primo gustu in salubria, quibus tamen admiscebantur ambigui saporis aliqua. cumq; diligentius explorarem omnia, tandem uenenum & quidem praesentissimum latere non potuit, quo ne lingua inficeretur, coepi totum dogma respuere. Huius uenenaetate mixturae ut Lectori gustum aliquem darem, corruptelas ex conuersione praepostera, quasi integras epulas ex infecto aliquo ferculo, proposui praelibandas. Etsi autem scio, me grauari suspitione laudis per hanc occasionem adfectatae, tamen & monstrosa noui figmenti absurditas, & magnitudo periculi recte considerata, quid captem satis ostendunt. Veritas in re difficili mihi quaeritur, non laudis accessio, quam polliceri dementis est, hoc praesertim tempore, ubi strophis & suggillationibus omnia plena sunt, & candor rarus. Sanabilibus igitur consulere cupiens ad institutum accedo, demonstraturus tres prodigiosas absurditates cum tota scriptura pugnantes, id is demum intelliget, quem studia partium a ueri consideratione non abducunt.

Que

Quæ est Absurditas prima per
Flacium introducta?

Conuersio Immediata.

Quomodo Immediata, cum
doctrinam sonantem non
abijciat?

Hoc fit in speciem, & insidiatores laudi dis-
cunt ea contegere, quæ sunt exitialia, ita
uenenum dissimulatur pipere, & qui sic nocere
student, non abijciunt edulia, sed etiam exquisi-
tissimas admiscunt illecebras, ad ueneni suspicio-
nem excludendam. Et Flacius, si prima fronte
illam phanatici delirij significationem ostendes-
ret, dogma suum quomodo uenditaret? Ne igitur
uideatur Stenckfeldium quiddam redolere,
temperat à manifesto externi uerbi contemptu,
sed si rem attentius introspicias, deprehendes,
Flacio & Flacianis non impingi falsum, cum
dicuntur immediatam conuersionem inuehere.

Quid nominas conuersionem
Mediatam?

Conuersione Mediatæ est, poenitentiam discen-
dam ordiri à uerbo uocali seu scripto, tan-
quam

quam medio, sine quo efficax Spiritus sancti motio non est expectanda. Hæc autem conuersio requirit non solum animum docilem & attentum, uerum etiam diligentem meditationem doctrine enarrate cum assensione qualicumq; coniunctam.

Qui fit conuersio Mediata?

Spiritus sanctus per uerbum auditum, lectum, seu cogitatum, accendit notitiam in mente, fiduciam in uoluntate, lætitiã in corde. In hac illuminatione renascens non repugnat, sed utitur potentijs à Deo accensis, præbet se docilem, intuetur doctrinam traditam, eamq; studet intelligere, considerat intellectam, uerbo sic considerato assentitur utcumq;, hoc est, agnoscit reatum, metuit iudicium Dei aduersus peccata, seq; promissione gratiæ sustentat.

Flacius an nusquam meminit conuersionis Mediatae?

Meminit uerbis huiusmodi. Nihil istorum negamus, quæ isti splendidè decantant, esse incipiendum à uerbo, illud meditandum, inde agnoscenda peccata nostra. & porro, cum sumus contriti, esse cogitandum Euangelion, eius promissione nos debere sustentare, consolari, fidentem

dem inde concipere, & non permanere in dubitatione. & multo minus sentimus, sine his hominem conuerti, ut quidam imprudenter fingunt. Sed de eo est disputatio, an homo possit ista sui ueteris Adami uiribus prestare uel ex toto, uel ex parte, an uero ex illa cordis apertione & illustratione Dei, qui dat cor intelligens? In Disputatione Vimarisiensi pagina 259.

Sententijs igitur congruentibus, quid venit in disceptationem?

Flacijs, ut dissiparet Ecclesias de doctrina repurgata una mente & uoce consentientes, sicq; dissipatas funesto bello inter se committeret, in domesticis uulneribus pasturus oculos, informat statum extra controuersiam positum, constituens hypothesis à nemine nostrorum in certamen adductam. Sic enim inquit: De eo est disputatio, an homo possit ista sui ueteris Adami uiribus prestare:

Item.

Quero, an tribuas Synergiam homini renato, uel non renato. In Disput: Vimarisiensi pag: 29.

Item.

Quero, an dicas, hominem cooperari ante te acc

te acceptam fidem, aut bonum uelle, seu post?
Ibidem. pag. 35.

In illis quæstiunculis accusamur obliquè,
quasi homini ante conuersionem tribuamus syner-
giam, quod nemo rectè rem considerans cogita-
uit unquam, nec Flaciani hanc opinionem in ullo
nostrorum hominum scripto possunt ostendere.
Ut igitur esset aliqua consensus turbandi occasio,
constituit synergiae duo tempora: Vnum, ante
fidem, ubi nobis incumbat probatio, quod Ad-
amica natura absolutè considerata, sine ullis pœ-
nitentiæ initijs, possit efficere motus spirituales.
Sed frustra probationem exigit, ubi propositio
non asseritur. Quis enim adeo demens est, ut
uiribus Adamicis per se consideratis ullam tri-
buat facultatem assentiendi? Alterum, post fi-
dem, quæ Synergia refellitur à nemine. Has ex-
tremitates urget Flacius, non præuidens medijs
temporis circumstantiam in quæstionem uocari,
è qua status oritur à nullo Flacianorum animad-
uersus.

*Quis igitur est principalis huius
causæ status?*

IN hac controuersia neq; de non renatis, neq; de
renatis contenditur, sed de renascentibus, quid
in actu conuersionis agant. At renascentes non
operantur

Operantur uiribus Adamicis, sed uoluntate per
uerbum à Spiritu sancto accensa.

Quid uocas conuersionem Im- mediatam?

Quæ fit sine ullis medijs ad regeneratio-
nem ordinatis, hoc est, Cum homo con-
uertitur ita, ut neq; mens agat aliquid in notitia
Dei adprehendenda, nec cor, Lege sonante, expa-
uescat, acquiescens in promissione gratiæ, sed ia-
ceat ueluti Truncus, nihil de sui conuersione cogi-
tans, imò etiam atrociter repugnans, qui ta-
men seu per uiolentum aliquem raptum, more
enthusiastico, seu per infusionem animæ recens
creatæ, ad uitam æternam regeneretur.

Vbi extat asseueratio conuersio- nis immediatæ?

In omnibus illis locis, ubi sanctificatio trans-
formatur in creationem, præcipuè uerò in hoc
Elacij dicto: In scriptura & spiritualibus omni-
potentis Dei operationibus longè alia res est.
Non indiget ille materia ex qua, ut sartor, su-
tor, figulus, aut pistor, aut alius eius generis ho-
muncio. Ille uocat ea quæ non sunt, ut quæ sunt,
dixit & facta ei sunt. In Disput. Vinar: pag:
61. Sen

61. sententiam suam explicat, citans locum Pauli, Roman: 4. Vocans ea quæ non sunt, ut sint, loquitur Apostolus de creatrice Dei potentia, qua foecundat steriles, ut Saram. Et uocare est efficere, ut ea quæ non existunt, sint aliquid. Huic dicto additur & aliud ex Psalmo 33. Ipse dixit & facta sunt, quod non potest, nisi de rebus ex nihilo productis intelligi. Talibus allegatis probat, duplex uerbum ad conuersionem requiri: Externum, quod sonat in templis, sed neq; ad mentes per terrefaciendas, nec ad conscientiam ex paucis liberandam, momenti quicquam adferat, nisi Metempsychosi illa præeunte: Internum, Filius Dei dicendo fabricans nouam essentiam, eamq; homini conuertendo per Spiritum sanctum infundens. Hæc opinio crassioribus coloribus pingitur à personato Amsdorfio, propositione 26. Deus cum uoluntate diligente non aliter agit, quàm cum reliquis creaturis, scilicet per uelle & dicere suum. & cum Deus uult & dicit, tum credit & diligit homo. Sensus est: Ut Deus irrationales creaturas uerbo creante condit, ita in homine fidem & dilectionem efficit dicendo: uolo ut credas: uolo ut diligas, sicut dixit: Fiat lux, & facta est lux. Talis autem regeneratio quid aliud est, quàm immediata conuersio? Sed hæc in probationibus aspersis erunt conspectiora.

PRIMA

PRIMA PROBATIO
conuersionis Immediate à Flac-
cio introductæ.

A congerie uerborum
substantialium.

Creatio substantiæ non fit per ulla media.
Congeries uerborum substantialium à Flac-
cio collecta, importat creationem substan-
tiæ.
Ergò conuersio Flacica non fit per ordinatæ
media.

Probatur Maior.

Creatio substantiæ non indiget uerbo me-
diante, sed fit immediate à Deo, non existentia
producente ad esse. Qui si in regeneratione creat
substantiam nouam, tum sic regenerans agit po-
tentia diuina, sine ullis medijs.

Probatur & Minor.

Flacius monstraturus quasi scopum conser-
uationis institutæ, uerbis substantialibus at-
textit tale consequens. Sophistica eludere conaris
omnipotentis Dei uerba, quæ sunt multa à me re-
citata, & manifestè substantiam significant, &
asserunt.

asserunt, quòd ipsa substantia hominis sit cor-
rupta, mortificetur, regeneretur. In Disput. Vis-
nar: Pag: 53. aperte dicit, ipsam hominis sub-
stantiam mortificari & regenerari. Eiusmodi di-
cta efficaciter eumcunt, Flacium è uerbis sub-
stantialibus extruere conuersionem substantia-
lem, quæ nouam essentia creationem requirat,
non tantum alterationem qualitatum.

SECUNDA PROBATIO
conuersionis Immediate à
Flacio introduc-tæ.

A noui Hominis
insufficiencia.

Negans regenerationem, quæ fit per uer-
bum, esse sufficientem, tollit conuersionem
mediatam, substituens immediatam
tanquam perfectiorem.

Flacius id facit, inquiens: Spiritus san-
ctus in nobis nouum hominem condit. Deinde
nouus homo nondum est sufficiens, nec potest
quicquam, nisi hic rector eum perficiat. In Di-
sput: Vmariensi pag: 236.

Asserit igitur conuersionem immediatam.

Dilu

Dilucidatio Minoris.

Verba Flacij sunt perspicua, nec possunt
in aliam sententiam detorqueri. Disertè inquit:
Nouum hominem à Spiritu sancto conditum,
nondum esse sufficientem. Huic paradoxo addi-
tur declaratio, continens negatiuam uniuersa-
lem diligenter considerandam, per insufficien-
tiam intelligi, quòd nouus homo nihil quicquam
possit. Hæc adynamia in uniuersum excludit
assensionem præstandam Legi iram denunci-
anti, & adplicationem misericordiæ in Euan-
gelio promissæ, hoc est, timorem & fidem, ut
sit sensus: Hominem etiam de nouo conditum non
posse præstare uirtutes illas, nisi à rectore perfici-
atur. Quid est autem à rectore perfici? nisi
perfectiorem effici, ut ac potentia conuer-
sionis immediatæ. Nam si regeneratio mediata
sufficientem conuersionem adferret, non opus
esset perfectore sufficientem dynamim in renatos
transfundente. Sed homini nouo tribuitur
totalis adynamia, quæ haud quicquam possit
sine nouitate perfectiore. Hæc igitur perfectior
nouitas non eo modo continget, quo insufficiens
illa, sed alio. Non est autem præter & extra me-
diatam alius conuersionis modus, nisi renouatio
immediata. Hanc igitur ex sufficientia illa deri-
uat, sed uerbis rectè positis.

TERTIA PROBATIO
conuersionis immediate à
Flacio introducta.

A remotione causarum
secundarum.

Prima causa operans sine causis secundis, agit immediate.

Flacica conuersio fit sine causis secundis.
Est igitur immediata.

Valet consequentia: Remouens causas secundas in conuersione hominis, simul remouet uerbum ministerij & actiones correlatiuas, quæ inter causas secundas rectè numerantur. Minor patet ex textu Quadragenorum, ubi sic legitur. Man sol vnsern Herr Gott in der bekerung des Menschen nicht an die causas secundas binden. Huius dicti (Deum in conuersione hominis non esse ad causas secundas alligandum) quæ potest adferri alia sententia, quàm quòd Deus in conuersione, etiam sine uerbo prælucente & actione uoluntatis concurrente, agat efficaciter? Quòd autem clamitant, Deum à Synergistis alligari ad creaturas, est calumnia per sententiam malè intellectam imposita. Deum facere causis secundis obnoxium, est statuere, quòd non possit aliter

aliter agere, quàm ordo rerum in natura semel institutus cieat. At nemo nostrarum partium ita sensit unquam. Scimus Deum esse agens liberrimum, multa facere præter & extra causas secundas. Nec in hac controuersia quæritur, quid Deus possit? sed an in conuersione uelit efficax esse in illis, qui de sui conuersione nihil cogitant, in quibus est ignaua uoluntas, qui mouenti repugnant hostiliter? ibi docemus, Deum, sine uerbo præeunte, & actione motæ uoluntatis coincidente, nihil operari, non quòd causæ secundæ cum quasi captiuum rapiant, aut quòd nequeat hominem conuertere sine medijs, sed quòd hæc est partefacta Dei uoluntas, ut fides sit ex auditu, auditus per uerbum. Roman. 10. Item, ut homo sibi faciat cor nouum. Ezech. 18.

*Quid dicis de illis, qui nouam illam
potentiarum fabricationem
non adprobant, & ta-
men Synergiam op-
pugnant?*

Illi ipsi conuersionem immediatam nobis obtrudunt, id ita probo.

Probatio.

C. iij

Con+

Conuersio immediata dicitur, quæ agens sine medijs, non requirit actiones correlatiuas. In regeneratione Flacica nullus est agendi modus.

Ergo, In regeneratione Flacica, etiam extra Metempsychosin, conuersio immediata constituitur

Probatur Maior.

Per modum agendi intelligimus formalitatem agentis, quæ sui specimen ostendit in actionibus correlatiuis efficiendis. Sed per actiones correlatiuas ad conuersionem mediatam necessarias, intelligimus attentionem in discendo utilem, ac necessariam doctrinæ considerationem, adplicationem iræ & gratiæ, & motus doctrinæ conformes. Iam si homo conuertitur, & tamen sine ullo agendi modo, tum id fieri necesse est, per regenerationem immediatam, ad quam solam hominis actio non concurrat.

Probatur & Minor.

Tota disputatio personati Amsdorfij conatur euertere modum agendi. Proinde in conuersione Flacica, etiamsi aures foris accipiunt uocem doctrinæ in publico coetu sonantis, tamen intus nec animus attendit, nec mens intelligit quid dicatur. In potentia uolente nulli sunt motus ad ueram pœnitentiam necessarij, & tamen talis Truncus conuertitur, prorsus sine consideratione uerbi, utpote nihil agens nisi conuersione prius totaliter peracta. Hoc qui asseuerat, an non per
usum

usum uerbi sublatum, etiam conuersionem medias
tam uidetur tollere?

Quæ est Absurditas altera?

Conuersio inuoluntaria.

*Quid nominas conuersionem
Inuoluntariam?*

Ad quam, post primum motum à Deo per
doctrinam sonantem accensum, non accedit ali
qua uoluntatis actio.

Vbi statuitur illa?

In his Flacij uerbis: Alia deniq; resistentia
omnis in hac uita uiuentis hominis est, qui quoad
non renascitur, habet omnino Deum pro stultitia,
& cum eo extremas acerbissimasq; inimicitias, sua
natura, ut supra dictum est, exercet. Hac postre
ma ratione resistentibus, si quis negauerit dari
Spiritus sanctum, ille negabit omnino ulli mor
taliu dari, ullumq; peccatorem ac inimicum
Deo hominem, ei reconciliari. In refutatione pro
positionum Pfeffingeri, annexa propositionibus
Stoltzianis. K. ij. Sensus est. Homo etiam repu
gnatiuè ac hostiliter se habens, conuertitur. Hæc
monstruosa hypothesis gignit conuersionem inuo
luntariam, idq; sic probatur.

PRIMA PROBATIO
conuersionis inuoluntariæ à
Flacio excogitatæ.

A contradictorijs.

Hoc

Hostiliter ac furenter in conuersione repugnans, haud uolens conuertitur.

Flacius adfirmat, hominem cum Deo acerbissimas inimicitias exercere, & tamen à Spiritu sancto conuerti.

Docet igitur conuersionem inuoluntariam.

Probatur Maior.

Maiorem probat communis regula: Contraria non competunt uni: Hostiliter repugnare trahenti, ac uolentem trahi, contradictoria sunt, ac si dicas: In nocturnis tenebris dies oritur. Si tenebrae sunt, non lucefcit, aut si lucefcit, necesse est tenebras discuti.

Obiectio.

Hanc absurditatem Flacius sic amolitur. Non negatur, quin Deus nos conuertat uolentes, seu intelligentes, sed intelligentes & uolentes non ex ueteri Adamo, sed ex luce diuinitus accensa, donato bono uelle per uerbum & Spiritum sanctum. In Disput: Vinariensi pag. 67.

Vide quaeso cuiusmodi quærat effugia Vesteri homini tribuit hostilem repugnantiam, cumq; ea putat præsentiam & efficaciam Spiritus sancti consistere. Ita dum è laqueis, quibus implicatur, sese studet extricare, subinde magis irretitur.

tur. Fatemur ueterem hominem repugnare, sed non hostiliter, aut si hostiles inimicitias exercet, non dicitur renatus, sed iterum renascendus. Hæc enim repugnantie species, quæ fit in gradibus intensis, uerè est peccatum regnans, cum quo uoluntaria conuersio non potest copulari. Sic igitur concludo: Volentem conuerti ac circumferre peccatum regnans, est manifesta contradictionis implicatio. Inde sequitur, conuersionem inuoluntariam à Flacianis inuehi.

SECUNDA PROBATIO
conuersionis Inuoluntariæ
à Flacianis excogitatae.

A copulatis Potentiarum
actionibus.

Actiones intellectus & uoluntatis sunt copulate, ita ut alterutris remotis, remoueantur utraq;.

Personatus Amsdorsius à conuersione excludit cogitationem, sine qua uoluntas non potest accendi.

Simul igitur & uoluntatem excludit.

Probatur Maior.

Sicut copulatio cordis non potest existere,

C u re,

re, nisi cum potentia seriò uolente: ita adpetitio
rei non potest comitari potentiam cognoscentem,
nisi antecedit cogitatio formans imagines. Qui
enim fieri dicamus, ut aliquis expetat id, cuius
nulla cogitatio subit animum?

Probatur & Minor.

Minor est manifesta ex 43. propositione
personati Amsdorsij, ubi sic inquit: Spiritus san-
ctus uoluntariam ac rationalem creaturam de sui
conuersione nihil cogitantem & agentem, conuers-
tit. Quomodo autem potest uolens conuerti, qui
de sui conuersione nihil cogitat?

TERTIA PROBATIO conuersionis inuoluntariæ à Flacianis excogitata.

A sublato agendi modo.

Vbi nec intellectus nec uoluntas ullum
habet agendi modum, ibi fieri nequit con-
uersio uoluntaria.

In regeneratione Flacica, nec intellectus
nec uoluntas ullum habet agendi modum.
Igitur, conuersio Flacica non est uolun-
taria.

Minor

Mimor est evidens ex illo paradoxo: Ideo
nihil opus est aliquem modum agendi in homine
fingere, cum Deus uult & dicit, tum credit &
diligat homo. In hac prodigiosa hypothese om-
nibus potentijs detrahatur modus agendi in con-
uersione. Non potest igitur conuersio esse uolun-
taria, uoluntate nihil agente.

Quæ est Absurditas tertia?

Conuersio insensibilis.

Quid nominas conuersionem in- sensibilem?

Est ita conuerti, ut non sentias motus à Spi-
ritu sancto accendi, existens sine pauoribus,
sine dolore conscientie, expers remissionis gra-
tuitæ, & tamen in medio isto stupore renascens,
quantumuis omnium istarum actionum ignarus.

Vbi extat conuersio In- sensibilis?

In trigesima octaua propositione personati
Amsdorfij, ubi sic inquit: Modus agendi pror-
sus nihil facit ad adplicationem conuersionis, ut
somniauatur nugator, & multò minus ad sentiendū nos

UOS

uos motus in conuersione hominis. Attende uerba
expresse posita. In conuersione hominis: Modus
agendi nihil facit ad sentiendum nouos motus.
Homines eruditi sic ratiocinantur. In conuer-
sione aut non sentiri efficacem Spiritus sancti
motionem, aut ex illa sensibili impressione oriri
actiones correlatiuas. Hæc argumentatio sic
eluditur, quòd modus agendi nihil faciat ad sen-
tiendum nouos motus, id est, ex conuersione sens-
sibili non rectè colligitur modus agendi. Sic lus-
dens non animaduertit, modo agendi sublato,
constitui conuersionem sine sensu, id ita se habere
sequens probatio ostendet.

PRIMA PROBATIO
conuersionis insensatæ à
Flacianis confictæ.

A detractò agendi
modo.

Faciens causam insensibiliter mouentem, si-
mul tollit effectum sensibilem.

Flaciani, per detractum agendi modum,
qui ex sensibili conuersione oritur, faciunt caus-
sam in motibus ciendis insensibiliter agentem.

Tollunt igitur & effectum, uidelicet con-
uersionem sensibilem.

Valet

Valetne consequentia?

Valet. Spiritus sanctus efficaciter mouens, extimulat ad actiones correlatiuas, quæ nullæ sunt, modo agendi detracto. Si igitur homo conuertitur, ita tamen, ut neq; mens aliquid de sui conuersione cogitet, nec cor presentiam Dei agnoscat, nec homo credat peccata remitti propter Filium, tum statuitur conuersio sine sensu, & Deus dicitur agere modo prorsus insensibili. Aut si auersantur absurditatem ex insensibilitate orituram, tum necesse est renascentibus tribuere aliquas actiones correlatiuas, uidelicet, ut Deo per legem terrente, homo sentiat pauores excitatos, corq; se erigat, Deo per doctrinam Euangelij dicente consolationem.

SECUNDA PROBATIO conuersionis insensatæ à Flacianis confictæ.

Ab ignoto conuersionis modo.

Sensibilia non sunt ignota.

Flaciani docent, modum quo Deus hominem conuertit, prorsus ignorari.

Existi

Existimant igitur hominem insensibiliter
conuerti.

Probatur Maior.

Experientia sensuum à nemine sano refuta-
tari potest. Motio sensibilis ab obiectis orta
non ignoratur: Homo cum ustulatur, intelligit
admoueri flammam: Terror conscientiae conster-
natae non potest dissimulari, quasi non dolcat:
Fiducia misericordiae promissae adfert sensibilem
animi tranquillitatem.

Probatur & Minor.

Quadragesimum haec sunt uerba. Der
heilige Geist bekeret wunderlicher vnd
vnerforschlicher weise / Kein Mensch kan
den modum agendi (Der allein Gottes ist) wie
es zugehe erforschen / es ist vnd bleibt ein
geheimnis. D. ij. Etsi huius dicti (Nemo ho-
minum potest modum agendi, qui solius Dei est,
qui fiat, scrutari) magna est ambiguitas, tamen
sententia satis est dilucida, uidelicet, modum
agendi, quo Deus hominem conuertit, ignorari.
Huic opinioni omnium sanctorum experientia
reclamat. Dauid cum obiurgaretur à Nathan,
subijciens: Peccaui Domino, & audiens postea:
Abstulit Dominus peccatum tuum, intellexit
utrumq; modum agendi: soli Deo proprium.
quod agat sensibiliter, & uerbo mediante exci-
tans

ans timorem & fidem per uocem Prophetæ:
Modum agendi in ipso, quod præceps ruit in su-
bitam consternationem, quam non potuit excus-
tere, nisi animum recipiens condonatione delicti
proposita. Etsi autem non comprehendebat mo-
dum efficacie diuinæ, quo Deus operationes suas
efficit, tamen intellexit quid ageret & quo me-
dio. At Quadrageni non hoc tantum uolunt, ne-
sciri modum efficacie diuinæ, sed etiam ignorari,
quando Deus motus spirituales accendat, nihil
istorum intelligi, nisi conuersione peracta. Id ita
cum statuunt, faciunt conuersionem insensibilem.

TERTIA PROBATIO
conuersionis insensatæ à
Flacianis confictæ.

A non necessario resipiscendi proposito.

Nihil de poenitentia agenda cogitans, si
conuertitur, modo planè insensibili con-
uertitur, sine ullo resipiscendi proposito.
Personatus Amsdorsius dicit, hominem
nihil de sui conuersione cogitantem con-
uerti.

Iuxta hanc igitur opinionem, eti-
am non habens bonum propositum con-
uertis

uertitur, animo ad omnem sensum obsura
descende.

Valetne consequentia?

Valct. Nihil cogitans, nihil sentit. Sensus
mali, parit tristes animi motus. Sensus boni, gi-
gnit letas animi cogitationes. Nihil igitur de sui
conuersione cogitantem, impossibile est, ullo ue-
re poenitentiae sensu adfici. Latro in cruce con-
uertitur, sed non conuertitur ut nihil cogitans, si
quid Euangelistis credimus, qui integros eius ser-
mones recitant. Sunt autem uerba quasi simulacha-
ra rerum cogitatarum, nec quicquam potest in
linguam transferri, quod prius non sit in animo.
Est igitur Latronis concio quasi pictura animi
cogitantis, qua complicem suum hortatur ad poe-
nitentiam, signate exprimens praecedentes suas
de causa tanti supplicij cogitationes. Intelligit
enim atroces flagitiorum poenas esse manifestam
ire diuinae significationem, & sensibiles quasi
notas Dei grauitate offensi. Ideo inquit: Ne tu
quidem times Deum, qui in eadem es damnatione.
Nos quidem digna factis recipimus, hic uero nis-
hil mali designauit? Quasi dicat: Hi corpora-
les cruciatus debent nos deducere ad considera-
tionem seuerioris iudicij, post hanc uitam expe-
ctandi, non agentibus poenitentiam. Haec igitur
castigatio per se satis acerba, exuscitet in nobis
timorem Dei, qui corpore interfecto, animam po-
test

test in æternum exitium abijcere. Ex illa come-
monefactione nascitur noua cogitatio de discrimi-
mine suppliciorum, quibus adficiuntur ipsi, &
illius pœnæ, quam Filius Dei in cruce sustinet.
Cum igitur inquit: Nos digna factis recipimus,
significat eos plecti propter sua scelera, & totum
genus humanum horribiliter puniri ob pro-
pria delicta. sed cum ait: Hic uerò nihil mali pera-
petrauit, cogitat hunc in medio pendentem patè
quidem acerbissimos cruciatus, sed sine propria
culpa, & tamen esse magnam huius arcani con-
siliij causam, nempe ut sit Mediator inter Deum
& Hominem, mactationem illam sustinens ad
peccata generis humani hac satisfactione expian-
da. In hoc illustri discrimine conspexit etiam
summam huius sacrosanctæ uictimæ innocentia-
am, cum miraculosa tolerantia coniunctam, in
quam intuens, se uertit ad Christum tanquam totius
mundi Saluatorem, quid autem petat, hæc
uerba ostendunt: Domine, memento mei, cum ue-
neris in regnum tuum. Dominum uocat pendente-
tem inter facinorosos, iamq; expiraturum, fa-
cinorosis quidem societate supplicij similem, sed
causa supplicij dissimilem. Ei tribuit regnum
post mortem occupandum, quod non erat factu-
rus, nisi statueret Christum esse destructorem mora-
tis, uictorem peccati & Diaboli, datorem uitæ
eternæ, humani generis redemptorem, propter
quem Pater in gratiam recipiat omnes ad ipsum

D confusa

confugientes. Nunc dicant Flaciani, an hoc
sit nihil de sui conuersione cogitantem conuertit

Responsio ad obiectionem Flacicam.

ET si bonos arbitror hac Prælibatione fore
contentos, tamen Flacius absurditates de-
monstratas non agnoscet, suo more postulaturus
formalia uerba, ubi dicat conuersionem esse im-
mediatam, inuoluntariam & insensibilem, illa
uerborum portenta in suis libris nusquam con-
spici, & esse planè sycophanticum, alicui tribues-
re uoces à nemine usurpatas. Per hanc obiectio-
nem conabitur non modò gustum exhibitum, sed
& integri operis expectationem, ut frustra con-
citatum, eludere. Hac enim arte pollet hæc fas-
tatio, cum uidet se destitui bonitate cause,
tum quærit uias, quibus scripta rectè sentientium
adducat in contemptum, idq; pauculis pagellis,
sine ullo cerebri detrimento exaratis, quibus si
nihil aliud, hoc tamen possit obtineri, ut aut fru-
strastylum acuas, aut præliaturus cladem haud
magnam inferas, existimatione quasi clypeo sta-
tim adempta. Hoc artificio Flacius & hîc utetur,
clamitans adferri probationes sophisticas, ex ue-
nenatis consequentijs collectas, non è uerbis ex-
presse positis, aliud nullum est effugium. Ad
hanc

hanc elusionem respondeo. Verba gignunt sensum, quem si uolumus efferre proprio genere sermonis, non possumus inuenire formulas significantiores, quæ mentem Flacij dilucidius expriment, quàm usitatas illas, propter perspicuitatem, à nobis usurpatas. Neq; dicimus hæc esse uerba Flacij, sed sensum uerborum, qui sensus pariat opinionem adeo monstrosam, & conuersionem tot erroribus inuolutam. Quod ad consequentias attinet, respondeo. Ad certas metas reuocare materias uagabundas, est diligentia & Deo grata, & laude digna: & in membris rectè conglutinatis ostendere uicium argumenti, nec uicio uerti, nec pro crimine potest haberi. Nam bona pars candoris lucet in terminis connectendis, quia hoc unum agitur, ut certi dogmatis sententia ab aliquo proposita, in illa forma subiiciatur, quam res ipsa secum adfert, & à connectente requiritur, ne quid in partibus coagmentandis affingat à mente disputantis alienum, nec quicquam omittat motæ controuersie copulatum. Hanc uirtutem præconijs ornandam Flaciani rapiunt in crimen.

Transitio ad absurdi dogmatis incommoda.

Est modus in rebus, inquit Poëta, certas quasi metas circundans omnibus negocijs, ne me
D ij dio

diocritatem excedant. Huius præcepti **Q** mihi
est habenda ratio. Constitui præbere gustum do-
ctrinæ à Flacio corruptæ, non omnia proferre
ab ipso deprauata. Exhibiturus igitur unde
lingua saporem colligat, crassissimos errores su-
premis quasi labijs degustandos proposui, quibus
tamen (si diligentius explores) plus ueneni ad-
mixtum deprehendes, quàm opinari poteras. id
sequens incommodorum enumeratio ex demon-
stratis absurditatibus collecta declarabit.

Assseuerationem conuersionis immediate
Flacius non potest inficiari, quam si admittis, de-
cretum rescinditur factum ab æterno. Deus ex
immensa misericordia **Q** sapienti consilio duas
patefactiones instituit, quibus arcanam suam uo-
luntatem nobis multiplici caligine oppressis reue-
laret: unam, uoce legis: alteram Euangelij uoce
promulgatam. Vtramq; patefactionem propo-
suit acturis pœnitentiam, ut in conuersione non
tantùm intellectus qualemcunq; Dei notitiam in-
desumat, ad locomotiuam hominis Adamici gub-
bernandam, sed ut cor quoq; sentiat efficaciam
doctrinæ ab extrâ infusæ. In Lege uult quidem
iram suam conspici, aduersus immundiciem na-
turæ **Q** externa delicta, sed peccato sic agnito,
uult etiam, ut se quilibet includat in eum nume-
rum, quem Moses pronunciat maledictionis æter-
næ reum. Sic **Q** uox Euangelij, non solum ad
mentes

mentes de beneficijs Filij Dei erudiendas, inge-
ritur auribus, sed oportet etiam ut homo promiss-
sionem gratiae includat pectori, per fidem ex do-
no Spiritus sancti scintillantem. Breuiter, ut
Deus foris iubet audire doctrinam sonantem, ita
uult comminationes & promissiones statim in
ipsa conuersione ad usum transferri, sic ut etiam
intus obtemperes motibus à Spiritu sancto in-
choatis, quorum nihil fit in conuersione immedia-
ta. Quid enim uerbo seu uocali seu scripto utas-
tur is, in quo Spiritus sanctus totam regenera-
tionem, modo nobis ignoto, operatur, uel de no-
uo creans potentias rationales, uel eas inflam-
mans quasi uirgula Mercurij, passiuè tantum? In
tali conuersione, uerbum externum nec locum
habet, nec utilitatem, nec causam ullam. Forsan
& ibi cupiet ostendi locum, ubi ministerium uers-
bi seu floccipendat, uel prorsus abijciat. sed ex-
pressa uerba requirenti opponimus rem ipsam
in oculos incurrentem. Flacius, ut supra dixi,
non exterminat doctrinam è templis, sed tribuit
ei & locum & efficaciam in natura Adamica
uinculis externae disciplinae coërcenda. Ita fins-
git ministerium ancillari & quasi scopis uerrere
pauimentum Ecclesiae, ad externas delictorum
sordes expurgandas, usum interiore nec uidet
nec admittit, nisi post conuersionem sine nobis
factam. Nos autem, praeter functionem pedas-
gogicam, quae aliquam cum uoluntate Dei cons-

formitatem in externis membris regendis efficit.
Verbo tribuimus usum interiorum in motibus spiri-
tualibus positum, eos dicimus excitari à Deo
per doctrinam in aures influentem, & in illis sic
excitatis concurrere potentiarum renascentium
cooperationem, in ipso conuersionis actu. Hunc
usum Flacius auferens, labefactat præcipuam edi-
tæ patefactionis causam, quo quid atrocius ab
homine designari potest?

Altera Flacianæ conuersionis absurditas
tribuit homini stuporem planè horrendum. Potentia
quas Deus partim ad usum politicum, par-
tim ad functiones in negotio pietatis exercendas
condidit, finguntur à Flacianis prorsus ociosæ,
etiam tum, cum noua agendi facultas inseritur.
Nam si potentia non agunt nisi in renatis, quod
omnes Flaciani uno ore profitentur, uim operan-
di etiam illis detrahi necesse est, qui tantum ha-
bent initia fidei, sicq; inuoluntaria conuersio po-
nitur, quæ quid secum trahat uide. Voluntas ocio-
sa non obtemperat mouenti, non obtemperans rea-
pugnat in actu, repugnans in actu conuersionis
non uult conuerti, & tamen sic resistens, iuxta
doctrinam Flaciam, conuertitur. Sequitur igitur,
in gradibus intensis reluctantes conuerti,
quod tota scriptura negat. Deus considerans
uim liberi arbitrij per lapsum primi parentis
amissam, conuersionem ita temperauit, ut ex
immensa commiseratione cladis acceptæ, nobis in
ea

ea parte succurreret, qua uiribus destituimur.
Nouit autem, reditionem ad Deum, quæ fit per
pœnitentiam, in hac naturæ corruptione, non
posse inchoari, sine gratia trahente, ideo præoc-
currit offerens ultrò, quo indigemus omnes, ac-
cendens suo lumine potentias, mentem, uoluntas-
tem & cor. Sic dat quod suum est, non nos-
trum, sed ita dat, ut quod ex dono largitur, ac-
cipiamus, nec iam est quòd quisquam ignauiæ
sue uel adynamian, uel indigentiam ullam præ-
textat, Deo conuersionem ordiente. Nam in
hac inchoatione si homo non est contumax, pos-
test obtemperare trahenti, & Deus exigens obe-
dientiam in uoluntate accensa, exigit rem ex
præcedente Spiritus sancti efficacia possibilem,
in non repugnante. Sed collatio ostendet dis-
crepantiam. Deus requirit conuersionem uol-
untariam, & ut hominis uoluntas assentiri que-
at, trahitur, & qui inter trahendum admittit
efficacem Spiritus sancti motionem, enitens
assentiri, potest aliquo modo præstare timorem
& fidem. At Flacius contendit, uoluntatem
non efficere actiones ullas, nisi in renatis, hoc
est, in illis, qui sunt omnino conuersi, & quidem
ita, ut in conuersione existerent ac manerent
trunci, qui propter inertiam suam patiantur,
uel nouã substantiam immitti, uel hominem Ada-
micum uiolenter rari, ad pietatem etiam inuitis
colendam. Hæc stupida opinio nihil considerat,

nec peruidet illustres circumstantias in conuersione diligenter animaduertendas, quæ hominem renascentem à purè Adamico discernunt? Renascens non tantum est ratione præditus, sed habet & qualiacunq; noui cordis initia per Spiritum sanctum accensa, iuxta illud: Dabo uobis cor nouum Ezech: 36. Sic autem renascens iubetur Ezech: 18. & sibiipsi facere cor nouum, hoc est, uti prærogatiua cordis accensi, seq; uicissim ad qualemcunq; obedientiam componere, ut sic & ipse faciat quod suum est, Deo faciente quod est Dei. Talem igitur à purè Adamico non discernere, sed habere pro trunco, qui in cæno iacens tantum sustineat uiolentos motus, euidentis est argumentum, magnitudinem beneficij, quod præstatum à Deo primos motus accendente, prorsus nec à Flacio, nec à Flacianis intelligi. Inde cogitari potest, cum Deus uelit renascentes in ipsa conuersione ostendere ueræ pœnitentiæ signa, per obedientiam ex facultate accensi cordis ortam, quantum sit flagitium, obedientiam excludere per conuersionem inuoluntariam, & contumaciæ, quam uniuersa scriptura detestatur, laxare frenum.

Ad priores absurditates accedit & insensibilis conuersio, quam sacræ literæ prorsus ignorant. Nam si Deus ageret modo insensibili, tum oporteret huius occultationis aliquam esse causam, sed nulla est causa cur sensus nostros fallat, nec Deus est occultator, ut cupiat hominem
ca cæla

ea celare, quæ sunt salutis æternæ. Apertus est
& agit aperte, eius in homine conuertendo consilia nec sunt iniusta, nec immania, nec cum turpitudine aliqua coniuncta, ut necesse sit tacitum in animos irrepere. Imò Deus nihil uult esse sensibilis conuersione, agit sensibiliter in mentibus conspectu iræ suæ perterrefaciendis, iuxta illud: Ossa mea ut cremium aruerunt. Psalm. 101.
& consolationem dicit in corde contrito, letitiæ gratam quietem adferente, iuxta illud: Auditui meo dabis gaudium & letitiam. Flacius igitur cum suis suffragatoribus introducens conuersionem insensibilem, Deo tribuit efficaciam, sed ad eum debilem, ut ab eo qui conuertitur agnosci nequeat, nisi toto renascentiæ negocio prius confecto, & quidem in homine de sui conuersione nihil cogitante. Deinde per illam ipsam opinionem, non solum ex homine Adamico, uerum etiam ex homine renascente facit scipitem. Ita quælibet absurditas multas gignit auas, ipsa matre deformiores.

Epilogus.

Ex ijs quæ obiter hic attigimus, opinor conspici, quid periculi sit, in nostras Ecclesias præstantissimorum hominum sudoribus repurgatas, uel admittere uel recipere conuersionem immediatam, inuoluntariam & insensibilem, in eaq; recipienda discedere à manifestis scripturæ

testimonijs, & ab usitata totius antiquitatis doctrina, cum scriptis Prophetis & Apostolicis congruente. huius periculi magnitudinem, omnibus sana mente præditis æstimandam relinquo. Nec ista dico, quòd existimem tantum ob has causas dogma Flacicum esse fugiendum. sunt alia longè tetriora paucissimis animaduersa, ad quæ demonstranda integram tractationem institui, mandandam typis quamprimùm fieri poterit. Interea erò, dum adornatur editio, potest Lector ex illa qualiscunq; prælibatione colligere, in illo iusto opere quid expectare debeat.


FINIS.



78 L 1587

X2208222

223



159
500

70





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

PRÆLIBATIO
FLACIANI
DOGMATIS, DE PRO-
DIGIOSA CONVER-

SIONE HOMINIS, AD
*gustum totius controuersæ
sive propositæ,*

Autore

M. CHRISTOPHORO
LASIO.

3. Reg. 20.

*Ne glorietur accinctus, quasi
discinctus.*



VV I T E B E R G A B

Ex officina Petri Seitzij.

1 5 6 8.

